minentiamque virtutum culmen ascendit, ad terrena mundi huius
opera non recidat. Novi enim tectum in quo Raab illa typo mere-
trix mysterio ecclesia sacramentorum consortio populis copulata
gentilibus exploratores quos ihesus direxerat abscondit, quae si ad infe-
riora descendisset domus ab exploratoribus qui ad corripiendos
eos missi fuerant occisi essent. Tectum quod sublimius est interius officium animae
quasi fastigium, quo nuda corporis operitur infirmitas. Unde mihi videtur quod para-
lyticus ille idcirco esse sanatus, quia a quattuor iuvenibus dimissus e tecto
est, quia quattuor adminiculo virtutum prudentiae, fortitudinis, temperan-
tiae atque iustitiae ad pedes Christi alta quadam se ratione subiecit. Hic enim excel-
sus humilitate, quia tamquam superior nescit extolli, quia nemo id affectat quod
infra se iudicat. Sed quomodo in iudicio versamur, non digrediamur a tecto, ne dum
vasa quae in domo sunt cupimus auferre, capiamur. Non enim in omni domo sunt
vasa aurea et argentea, sed in plerisque sunt lignea, nec omnis domus ple-
na, sunt enim et vacuae, quas noverat propheta qui dixit: Quid factum est tibi nunc, quia ascendisti
in domos vacuas? Impleta est civitas clamantium. Et subiecit: Omnes princi-
pes tui fugerunt, quicumque inventi vulnerati sunt, et ad perfidiam de fide lapsi sunt.
Vulneratus Sabellius, vulneratus est Valentinus, vulneratus est Arrius; in do-
mo enim vacua sunt reperti. Vis domum videre plenam? Sequere Petrum. Cum
esuriret ad domus superiora conscendit, ibi agnovit mysterium ecclesiae congre-
gandae, ut gentilem populum non iudicaret immundum, quem fides posset
ab omni mundare contagione. Vasa autem de luto sunt. Ergo vas corporis est, et ideo
cave ne desiderio corporis praeclara interius studia derelinquas. Si Petrus non
accepit mysterium in inferioribus positus, tu quemadmodum accipies?
Ille accepit qui ascendit, ut evangelizaret dominum, passionem corporis non timeret.

Ergo qui in tecto est non descendat, et qui in agro est non revertatur retro. Vix
intellegam quid sit ager, nisi ipse me doceat Iesus dicens: Nemo mittens ma-
num in aratrum et respiciens retro aptus est regno caelorum. Otiosus in vil-
la sedet, laboriosus in agro seminat, debilis ad focum, fortis ad aratrum.
Bonus odor agri, odor enim Iacob odor agri pleni. Ager plenus est florum,

De eo qui in agro est non revertatur retro.